



Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

De precibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10502

eis conspicuis intra septa sessionalia in omniū conspectu proposita fuit Tabella disciplinæ Synodalis impressa.

Hæc habetur item supra pag. 864.

De Missa.

Processionem absoluta, Illustris. Archiepiscopus ad sedē Archiepiscopalem sub umbella se recepit, ibiq; pluuiale exiit, & casula sumpta ad altare progressus, Missarum solennia peregit. Quibus absolutis, iterum casula, & dalmaticis depositis, Pluuiale induit, & in sessionem, quæ in ingressu Chori ad primos gradus dispensata erat, cum Reu. Capitulo, & Clero Metrop. descendit; reliquos verò Clerus in gremio Ecclesiæ paulò inferius ordine confidebat.

De precibus.

Omnibus in Synodo, & loco benedictionis ordine confidentibus, Illustris. Archiepiscopus statas preces ad inchoandam Synodum ex libro Pontificali surgens exorsus est.

Oratio mentalis per Reuer. Archidiaconū indicta his verbis. Orate Fratres, vt in Pōtificali, tum litanæ, & alia de more, & Euangelium de suggestu.

De Concione & alijs deinceps.

TVM Illustris. Archiepiscopus suggestum ascendit, habuitq; concionem, sicut & reliquis deinceps diebus. Eæ verò conciones supra positæ sunt fol. 78.

Absoluta concione, Illustris. Archiepiscopus ad sessionalem locum redijt. Hym. Veni Creator spiritus. canitur, ac etiam reliqua ad præscriptum Pontificalis peracta sunt.

Illustris. Archiepiscopo sedente, indicto silentio per Archidiaconum, Can cellarius præeunte Magistro Cæremoniæ ad Illustris. Archiepiscopum accessit, & ab eodem decreta, quæ de suggestu legeret, accepit: atq; illa quidem hæc sunt, quæ sequuntur.

Decretum de modo viuēdi tempore Synodi, seu de disciplina Synodali. Illud

autē supra habetur secunda parte Actuum in Synodo Diocesana VI. & VII. pag. 73. & 77. decr. 1.

Deinde lectum fuit decretum de ministris Synodalibus quod incipit, Quoniam verò in huius Synodi cura: & habetur supra pag. 73. decr. 1. ad finem. Itē decretum de præiudicio non afferendo. Habetur supra pag. 74. decr. 3.

Decretum de non discidendo. pag. 77. decr. 2. Cui illud etiam adiunctum est.

Qui item interfunt, à sessionali loco non discedant, sine facultate à nobis, seu Vicario nostro Generali, alijsq; Ministris à nobis deputatis.

Postea decretum de oratione publica. Habetur supra pag. 77. decr. 3.

Tum institerunt Promotores pro fidei professione emittenda.

Instantia Promotorum.

Illustris. ac Reuerendis. in Christo Pater, & Domine &c.

Cauit sanctum Concilium Tridentinum, vt omnes, qui in posterum beneficia Ecclesiastica assecuti sunt, & qui Synodo Diocesana conuenire debent, in ea Synodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur, fidei professionem recipiant, profiteantur, & præstent, prout illa Tridentina sanctione expressum est: ideo nos N. & N. huius XI. Synodi Promotores, humiliter petimus, & requirimus, sanctionem illam legi, & ad præscriptum, ab ijs qui tenentur, omnia & singula præstari.

Tum decreto de professione fidei, quod habetur supra pag. 75. decr. 5. & binis illis constitutionibus, vnâ scilicet Tridentina, altera Prouinciali, ac formula eiusdem professionis de suggestu lectis, qui fidei professionem præstituri erant, omnes corā Illustris. Archiepiscopo genuflexi, donec formula Pij III. ex suggestu pronunciata, & lecta fuisset, paulatim deinde terni & quaterni ad eundem Illustris. D. accesserunt, & fidei professionem breui hac formula emisserunt, & ad sancta Dei Euangelia, quæ Illustris. Archiepiscopus suis manibus